Quot & quæ ſint ſententiæ de uſu Lienis.

CAP. II.

JAm ut uſus, de quo propoſitum eſt agere, fiat quàm manifeſtiſſimus, oportet ante omnia videre, Quid anteceſſores noſtri ſenſerint?

Ut initium faciam ab eo, qui omnis boni autor nobis fuit, 1. ad Glauc. 1. cum is lib. de ſem. quatuor ſtatuiſſet humorum ſpecies, αἷμα, χολὴν, ὕδωρ καὶ φλέγμα; repetiiſſet etiã bis 4. de Morb. mox cuilibet tribuens peculiarem locum, τοῦ ὕδατος, aut quo modo ibi appellat, τοῦ ὕδρωπος πηγὴν ait eſſe τὸν σπλῆνα. Et poſt aliquam multa, ducto argumento à ſtatu præter naturam, ad ſtatum ſecundum naturam, Νῦν δὲ ἐρέω, inquit, περὶ ὕδρωπος, ὥστε καὶ διὰ τί πλείων γίνεται ἐν τῷ σώματι, καὶ ὅκως ἕλκει ὁ σπλὴν εἰς ἑωυτὸν ἐκ τῆς κοιλίας τοῦ ὕδατος, καὶ τὸ σῶμα καὶ τὸν σπλῆνα. Καὶ ἢν πλεῖον εἰρύσῃ τοῦ καιροῦ, πονέει αὐτίκα τὸν ἄνθρωπον. Καὶ τοῦτο εἰσασιοῦσι γινόμενον ὁκόσοι σπληνώδεες τῶν ἀνθρώπων. Non diſſimilis locus eſt lib. 1. de Morb. mul. ubi inter cætera ait: τὸν σπλῆνα διασπᾶν ἀπὸ τῆς κοιλίας πρὸς ἑωυτὸν (aquam in ſiti bibitam) ἅτε ἀραιὸς ὤν, καὶ σπογγώδης, κείμενος κατὰ τὴν κοιλίην.